

Werk

Titel: Thesaurus Mathematicum Reseratus per Algebram Novam; Ioannis de Luneschlos e Montium Salinga

Thesaurus mathematicum reseratus per algebr...; Algebra nova

Untertitel: Tam speciebus quam numeris declaratam et demonstratam cui praefixa universae phil...; ;

Autor: Luneschlos, Joannes de

Verlag: Cribellianus

Ort: Patavii

Jahr: 1646

Kollektion: mathematica

Signatur: 4 MATH II, 1567

Werk Id: PPN601189035

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN601189035> | LOG_0002

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=601189035>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

DEDICATORIA.

MO

MO

NOBIL. ET AMPL.
DOMINO

D. LUDOVICO DE GEER.



EMINVM, Nobilissime & Amplissime Vir, in Liberalibus Studiis licet obseruare Hominum Genium, quorum alter adhaeret Rebus; alter, Verbis. Qui porro adhaeret Rebus, utiles vel inutiles plerumq; affectat. Ad utilium Rerum metam duplici gradu procedit: Prior est eorum, qui insatiabilis lucri gratia, cui, tamquam muscae victimis, inhiant, tam citò ad Sapientiae metam festinant & properant, ut, instar canis in Nilo lambentis, omne illud preteruolent, quicquid rectè ad eum, quem sibi praefixerunt, scopum non ducit: imò, quod mirabere, immane nefas esse arbitrantur crassissimo illi sub sydere nati, si vel Sutor ultra crepidam sapiat vel ingeniosus Pictor amplius quam cucurbitas pingat, vel bonus Medicus simul desideret esse semotus à plebe Poeta, vel clarus Iurisperitus, acutus Mathematicus: & tanquam certissimum principium asserunt, & exosculantur illud Horatij:

Quod Medicorum est,

Promittant Medici, tractent fabulosa Fabri.

Hi omnes & singuli minorum gentium Dii, dum, sibi ipsis solummodo placentes, se & sua mirantur, nimium accelerant, inter medios fluctus, quos ut majores & Decumanos declinare, & frangere nequeunt, naufragium patiuntur, cursumq; quem sibi proposuere, minime absolunt. Quandoquidem

Serius absoluit, qui nimium properat.

Et

Canis festinans coccos parit catulos.

Posterioris generis sunt generosiores illi, quorum videlicet

De meliore luto finxit praecordia Titan,

qui ingenii libidine, nec non amore sciendi, & quod omnibus innatum dicit Aristoteles, a discendi plura desiderio eiusq; depererunt, ut scientiam artem ve, ad quam aspirant, non aggrediantur nisi prius perlustrauerint ac scrutati fuerint omnia, quae vel infra Tartara hoc infimo Rerum septo mirabilis conclusit Natura; vel supra supremum Sphaerarum convexum,

Vltra Solis Lunaeq; vias

Dii immortales celerant, aut quae his non sine exiguo labore, longoq; tempore excogitata solers Hominum adiecit industria, non expendentes exemplum Aegypti Reginae, quae ita artificia inter subiectos suos dividere solebat, ut singulis non nisi singula tractanda injungeret, haud ignare, inquit Socrates, qui subinde in aliud at-

que aliud munus abripiantur, nulli adhaerescunt, nec in succum, & sanguinem convertunt cibos, qui varietate vim ventriculi obruunt: Nam varium cibum edi facilius, quam concoqui, rectè censuit Latinorum Medicorū Coripheus Cornelius Celsus. Transeo jam ad Rerum Inutilium sectatores, Alchymistas scilicet, Genethliacos, Steganographicos, Polygraphicos, Characteristas, Chieromantas, Geomantas, Magos, aliosq; ejusdem farinae infelices homines, qui surgentē undique lucem Divini muneris conantur extinguere exemplo Herofirati, qui templum illud deleuit; cujus ne minimum quidem angulum edificare poterat, quibus certe satis est volitantes Nugarum muscas hiante ore captare, quibus tantum abest, ut animus veritati acquiescat, ut etiam ingenium & tempus, quod bonis Artibus satis angustum est, ejusmodi ridiculas, licet curiosas Subtilitates persequendo, semper conterat, atq; absumat. Sed, sat de illis omnibus; illos nunc tango umbratiles, quos Criticos rudis plebs vocitat, qui in nudis verbis duntaxat herētes, et a tem totā in Scientiarum, Artiumve versantur adytis, ipsarumq; adytus serius, aut nunquā, intuentur. Habent illas disciplinas, ut oblectamentum, non ut instrumentum Vita utilissimum, & maximè necessarium, quod in ludum quendam nugarum vertunt circulatores, & garruli isti, rebus sensuq; communi destituti: garrulitate siquidem apud ignarū & vanissimum vulgus laudem summam consequuntur, & docti habentur, nec hoc mirum, cum Scientiarum solida cognitione paucissimi gaudeant,

Nec cuivis homini contingat adire Corinthum,

sicuti nec ex quolibet ligno fiat Mercurius, nec à quolibet pictore pingatur Alexander Magnus. Licet multi multa sectentur, & quāplurima de quolibet scibili exsudando, suis verborum ampullis humiles istas & plebeas animas decipientes, balbutiant, quae, ubi quis serio examinaverit, nugas ut plurimum, furtaq; novis varijsq; ornata fucis animadvertet: studiosè etenim haec sequacia pecora Corniculam imitantur Aesopicam, quae semper sui similis extitit, detractis prius, quas undique corraserat, plumis. Ut propterea non immerito dubitaverit ipse Eloquentiae Pater Cicero, an facundia plus commodi vel incommodi Civitatibus afferret, scilicet, quod certò cognosceret, circumforaneos illos stentores huic studio addictos in spinis & laqueis argutiarum, de lana (quod aunt) caprina, nihil aliud, quam minutias illas Grammaticas, ceu inutiles contentiosasq; disputationes, quas Galenus toties & tam acerbè insectatur, subtili quodam disceptationum filo texere & retexere: Non secus ac sal, oleum, acetum, vinum, quibus modicè sumpta, salutis humanae sunt; immodicè vero, in venenum cedunt: sic Scientiarum artiumq; nobilissima instrumenta, quibus abutuntur.

Sed, licet iuxta Horatium

Diversos diversa juvent,

Et secundum Virgilium,

Trahat sua quemq; voluptas,

Viderint tamen, qui istam nacti sunt provinciam, ego vertens profram, & removens me ab hisce scopulis, qui multorum ingenia etiam felicissima absorpserunt, velificationem omnem direxi ad unicum Veræ scientiæ portum. Cujus studij mei primum specimen esse volui hos duos de ALGEBRA NOVA libros, non concise

nimis

DEDICATORIA.

nimis aut Laconicè; neq; laxius, aut Asiaticè scriptos: cum illud obscuret sensa; hoc, fatiget ingenia. Quos exaravi non animo & calamo (ut multi) ad scribendum pruriente, neq; titillante humane gloriæ, laudisve aucupio (quicquid enim sub Sole, me Divus Fidius, Vanitas est, sicuti tum ex eleganti hoc Cabbal isticò: אדם קצן הכלי tum ex his Sapientissimi d. verbis constat: הכלי הכלי הכלי sed ut ijs, qui ex hac mea quali quali lucubrauncula aliquid commodi & emolumenti percipi posse sibi firmiter persuasere, satisfacerem: hac ratione & Tempori, & Amicis aliquid dandum existimans, illudq; Ciceronianum, expendens, Homines Hominū causa esse generatos, ut ipsi inter se alij alijs non obesse, sed mutuis potius inter se studijs, & amicitie officijs (siquidem Homo Homini Deus) prodesse queant. Sic Idem alibi: Hoc natura præscribit, ut homo homini quicumq; sit, ob eam ipsam causam tantum, quod is homo sit, consultum velit, immo debeat. Itē, & Nullam meliorem in hominum genere esse naturam, quàm eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos, arbitrantur. Quibus autem præ reliquis servitus potissimū debeat, optimè expressit idē Tullius, himpellimur, inquit, natura, ut prodesse velimus, cum primisq; docendo, rationibusq; prudentiæ tradendis; itaq; non facile est invenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri. Quod etiam docuit Divinus Plato, dum ita ad Archytam scribit: Non nobis solis nati sumus, sed ortus nostri partem Patria sibi vindicat, partem Parentes, partem Amici: A parentibus enim, iuxta Eundem, habemus ut vivamus, at bene & diū à patria, quæ est, (ut cum Oratore loquar) velut alter quidam Deus, & primus maximusq; parens; cui tanti etiam tribuit antiquitas, ut omnibus, qui eam conservassent, adjuvissent, auxissent, certum in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo fruerentur sempiterno, constituerit. Quandoquidem Naturam Hominis Divina illa Solertia elevatam esse voluit, ut, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus, hæc appeteret duo: Religionem & Sapientiam, quæ dū simul cohererent, solidam parerent veritatem, partem custodirent, custoditam in cælum unā cum animis extollerent. In quem finem, postquam summus ille Archetypus polyædalum hoc ac uenustum Macrocolmi theatrū edificasset, colophonē Microcosmum, Hominem, nimirum Vniuersi istius Exemplar, atq; abbreviatā effigiem, veluti sui suorumq; operum contemplatorem; neq; contemplatorem modò, verum etiam eorundem interpretem & internuncium, in Microcosmi cætrum collocavit; tum, ut is tanquam visibilis creatura, invisibilis Opificis aternam potentiam, & stupendam Divinitatis Machinam p. lustraret, iuxta illud Ovidij:

Os homini sublime dedit, cælumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ipsamque κτισιν, Et istorum omnium Architectum, agnosceret, & celebraret, sicuti id ipsum indigitat Apostolus hisce verbis; Τα ἀόρατα τῆ Θεῆ ἀπὸ κτιστικῆς κόσμου τοῖς ποιήμασι, νοσμενα καθαρὰ δαε. τὸ γὰρ γινώσκον αὐτῆ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς; tum etiam, ut suis officiis communem Hominum Societatem demereri, eiusq; commoda promoveret, quò veluti preceptor Nos pro captu nostro ad hanc Universitatis Scholam manuducens, tam scientiis & artibus, quàm exemplis & libris institueret: inde enim factum est, ut cum primùm immensa illa Bonitatis Vis in animam vivētē

creas.

e lib. 1. offic. g. lib. 1. Tusc. K Ep. 9. I in somn. Scipion.

lib. 1. metamorph.

d Ecclesi. 1. v. 3.

f lib. 3. offic. h lib. 2. de finib.

i in cæton.

m Plato lib. 2. de mundo o Ad Rom. 1. v. 19. 20.

EPISTOLA

creasset Adamum, hunc omni Physicarum rerum scientia impleverit, ut quem & aetate, & corpore fecerat ut omnium & singulorum esset parens; eundem animo exhiberet absolutissimum qui omnium, quos gigneret, ac proinde ceterarum Gentium magister esset futurus. Scilicet non decuit, alium esse Eum, qui primus à DEO formabatur; quippe qui nec tanquam inops, ac quasi erasa tabula, scientiarum lineas ac rerum naturas hinc inde, ut Nos, emendicaret; sed statim phantasmata reciperet expressa, quae ipsa cujusque speciei individua proprie distinctaeque exererent, in quibus nullo cum errore vim ac naturam specierum illorum contempleretur: cumque perfectio in statu fuisset conditus nihil ei deesset facultatum earum, quibus mirifice Humanus animus oblectatur & pascitur. Sic ab Adamo Divae illa Supellex per posteros Patriarcharum, Prophetarum, Hebraeorum, imo Arabum, & Graecorum propagata est ad NOS Europaeos. Quare hisce aurea Rationis statera examinatis, perspicere non valeo, quo & Ego (ut Genio, & innato satisfacerem desiderio) facilius citiusque mea propensa voluntatis testimonium exhibere, quoque ullum iuventuti εὐδοκίαν donum deferre majus possim, quam si Ei omnibus, quibuscunque, etiam liceat, modis gratificari studuero, non instituendo tantum, verum etiam aliquid ad communis usus, & utilitatis propagationem publici iuris faciendo. Inter varia namque officiorum genera, quae ab Hominebus in salutem publicam fructumque redundare consueverunt, nullum preclarius, utiliusve dari potest, in quo aut melius de bonis Literis, & liberalibus Disciplinis mereri, aut multorum favorem gratiamque facilius digniusque conciliare possimus, quam si illis Scientijs excolendis omnem navemus operam, in quibus à benevola Antiquitate summa mentis industria Iuventis, ad actiones Hominum, vel recte gerendas, vel ornandas, non exigua videtur inesse momenta, si verum est verus, illud pro verbum: Hominis esse iuvare Hominem, nisi in illam Naturam legem, quae unumquemque nostrum pro suo modulo conferre aliquid in communitate iussit, impingere, imo injurius esse velit. Quid enim, quando nec una omnes semita, nec pari gradu incedimus, ita nec uni omnes, sed diversis plerique studis sumus addicti, teste namque Horatio.

Quot sunt capita, totidem studiorum
Millia,

Præstantius? quid Homine, quem Natura ἄνθρωπος πολιτικόν, & societatis appetens dixit esse Epicurus apud Arrian. Epictetum, & orationibus confirmavit Aristoteles, quemque alij totius Divini Operis compendium, alij rerum omnium mensuram, & creaturarum normam, Tismegistus magnum Mundi miraculum Zoroaster audacissime Naturae decus, Pythagoras Deum mortalem, Plato Divinum genus, Plotinus quoddam universum appellare non sunt veriti: ut merito Sophocles dixerit,

Nihil aequum stupendum, ac hominem

Natura parens produxit unquam,

quid, inquam, illo dignius est quam ad hunc unicum scopum studijs suis collineare, ut, quod Majores nostri de Posteritate anxii & solliciti scriptis mandatum Nobis reliquerunt, de suo quisque repertis hisce aliquid addendo, hoc idem talentum sibi committendum cum faenore ad suos quoque Posteris propagare studeat, quo hac ratione indies magis ac magis Inventorum aliqua additione Hominum Vita excolatur atque exornetur.

Ad

lib. i. politic.

in Antigone.

DEDICATORIA.

Ad quod cum omnes Mathematicę disciplinę maximum, in eo quidem iudicio, suppe-
ditant auxilium, tum hæc ALGEBRA, de qua potissimum in presenti erit sermo,
abunde satis hoc ipsum præstare conabitur. Quandoquidem hic Milesio calamo
descriptus cruciatus Adonis, aut Narcissus revocatus in florem, non Historiarum
illecebras, aut quitquid Attico lepore expressit vetus comœdia, depromuntur, ac
verò Numerorum & Magnitudinum inexplicabiles nexus, nec Cohordi nodis fa-
ciliores, non temeraria M. Alexandri manu sed Mentis subtilitate, & Natura bo-
nitate solvendi, præterea implexæ Matheseos sylvæ acuta ingenij securi scindenda.
Quapropter visus sum mihi operæ pretium facturus, si, ut hujus studij mei aliquod
publicum extaret testimonium, in communi usui utilissimam Rem aliquid temporis
tribuerem; atq; ne cæteris laborantibus ego solus otiosus viderer, Dolium meum cū
Diogene volutans, hanc meam spartam exorna vero. Quod equidem arduum Ne-
gotium hisce superioribus diebus, quantum Medicæ nostræ occupationes, & peregrini-
nationes commoditatis indulserunt, meiq; ingenij tenuitas tulit, absolvere, conce-
ptumq; hunc partum ingeniosum parere conatus sum. Præterea, cum Dignitas Tua
non ita pridem Bellicis Rebus fortiter ac strenuè gestis, Nominis Tui gloriam im-
mortalitatis Memoria consecra-verit, quo hoc unum Tuæ sit Virtutis Opus:

Famam extendere factis:

Hinc est, quod GALLVS plaudat, HOLLANTVS jubilet, SVECVS gestiat &
triumphet; Ac id propter Tuam cum fortitudinis, tum consilij, tum humanitatis u-
biq; ferè extant vestigia; ut Tui patrocinijs area, Tuæ humanitatis aura, Tuæ pru-
dentia asylum, Tuæ sapientię portus adeo omnes GERMANOS in Tui amorem
rapuerit, non secus, sicuti quondam, instar Mercurij catenule, vel radiorum Solariū
aquam in terræ visceribus absconditam per atomos (ut ajunt) bibulos attrahētū;
ut nemo literis vel mediocriter imbutus non Te ambiat curiosus, non adeat ambi-
tiosus non abeat à tuo conspectu cum divite affluenteq; redundantia. Meritò etiā
tuum & mihi, licet peroni & socco, quam cothurno, & calceo lunato magis idoneo,
excellentes Animi Tui dotes veluti stelle Animi Tui cælum exornātes, summumq;
Tuum in me affectum & favorem, beneficia etiam præstita pensitanti, hoc quicquid
Pallas nostra obstetricans enititur, & in auras effundit muneris, in Famæ delubro
ad Tuæ Dignitatis aras, tanquam votivam Iconem suspendere, dignum sane vi-
sum fuit: quippè cum Te bonarum artium, nec non Mathematicum amore flagra-
re quibus mirum in modum ad recte pluribus de rebus judicandum, Principes viros
adjuvari, Atheniensium quondam docuit schola, summam in Te etiam esse huma-
nitatem, modestiam cum majestate conjunctam, æquitatem, & liberalitatem, Ti-
biq; virtutes tot, quot sunt in iride flores, quas æquare, laboriosum; completi, diffi-
cile; imitari, arduum, recensere, operosum, convenire, quæ in summos ac illustres
Principes cadere solent, certo mihi innotuerit. Sed quid hisce laudum præconijs diu-
tius inhereo, quæ prolixius recitata fortasse in assentationis suspensionē me traherent,
aut eò in vitarent, ut, cum facile initium habuerint, finem difficilem in ventura, si-
cuti in Pompejanis laudibus enarrandis sibi accidisse dicit Cicero pro lege Mani-
lia. Ut igitur hisce colophonem imponam, Tibi Nobiliss. Heros, tum, ne huic meo
Opusculo Martialis verba accinere cogar, illa videlicet:

Cu-

EPISTOLA DEDICATORIA.

Cujus vis fieri libelle munus?
Festina tibi vindicem parate,
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordillas madida tegas papyro,
Vel thuris, piperisq; sis cucullus.
Tū etiā, ne omittā, quod meum; nec detrectem, quod Tuum, illud ex officio, hoc ex de-
bito; cum Te Vincum colere & venerariq; quā maximē debeam, Tibi, inquam te-
nuem hanc meā non Tui stomachi Opellā, ceu Matheſis meę primitias non toga, sed
sago, nō venere, sed Martē, non lasciuentibus verborū Gratiis, sed abnormi doctri-
na, rudiq; Minerva exultas (Nihil enim simul natū & perfectum) Clarissimo No-
mini Tuo prius destinatas, quā natas, veluti certum ac constans propensū erga
Te animi mei εὐβουλον, meq; seruitutis εὐμψυλον, maxima, qua fieri potest, obser-
vantia, & mentis nostrę submissione offero dico, addico; spe maxima, & ut confi-
do, verissima fretus, quod summa Tua Ingenij humanitas, prestantesq; Tui Ani-
mi dotes hoc quidquid est à me productum, & ad Te, in grati Animi signum,
transmissum munusculi (licet Tuę Dignitatis Amplitudini impar) exemplo Re-
gum: Alexandri M. & Artaxerxis, imò Cælituum, quorum illi dantis animum
muneris loco exosculari; Hi verò corda, non holocaustum intueri soliti, benigne li-
benterq; suscipient, meq; modo ad Asylum Tuum receptum, in Clientum quoque
Tuorum numero permanere patientur quo ego ad maiora in Tui honorem, & gloriā
in eadem atq; in alijs altioribus Disciplinis pro lucenda accingar. Vale, & Te mi-
hi ac Literis quā diutissime in volumem conseruet DEVS OPT. MAX. Qui ita
Te, Tuamq; Nobilissimam Familiam uvet, & Tuis cęptis illustribus felix an-
nuat, Tuasq; aetiones omnes in IPSIVS gloriā, ad Orbis Christiani salutem, cum
SERENISSIMAE REGINAE VESTRAE favore secundet. Patavii prid.
id. Octob. styl. Greg. Anni MDCXLVI, veri XLIX.

TUÆ DIGNITATIS & AMPLITUDINI

Deuotissimus Clientis

IOANNES DE LVNESCHLOS.